

Universitätsbibliothek Wuppertal

**DIONYSII || LAMBINI MON-||STROLIENSIS RE-||GII
PROFESSORIS,|| IN || Q. HORATIVM FLACCVM EX FIDE
ATQVE || AVCTORITATE COMPLVRIVM LIBRORVM
MANV-||scriptorum à se emendatum, et aliquoties
recogni-||tum, ...**

Horatius Flaccus, Quintus

Frankfurt/Main, 1577

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1066)

A nitatem inflecterent, offendunt eum citharæ can-
tu animum oblectantem, priscorumq; virorum
laudes canentem, his verbis, Τῆ ὄγε θυμὸν ἐπερπιν, ἀεί-
δει δ' ἀγαυὰ ἀνδρῶν, &c.

LYDIS TIBIIS] siue Phrygijs, nihil refert.
Tibiæ enim in Barbaria primùm repertæ sunt,
in quas cùm aliquando incidisset Minerua, easq;
semel inflasset, continuò reiecit, vt omnium or-
ganorum musicorum deterrimas. Quamquam

Porphytio Phrygijs tibijs res tristis: Lydijs lætas D
cani solitas scribit.

REMISTO] in libro de arte poët. sic veris fal-
saremiscet.

ET ALMÆ PROGEN. VEN.] Iulium Cæ-
sarem, Augustum, Tiberium, Drulos: vel, si quis
malet, Iuliam gentem ab Iulo nominatam. sic
Lucretius princip. lib. 1. *Aeneadum genitrix, ho-
minum, diuùmq; voluptas, Alma Venus.*

EPODON LIBER.

LAMBINVS LECTORI.

Diu, multumq; dubitavi, & quæsiui: neque dum dubitandi finem feci, lector erudite, quam-
obrem hic liber vel epodôn, vel epodos nominetur. Nam quid sit *σποφή, ἀντισποφή, ἐπωδός* apud Pinda-
rum, docent eius interpretes. Apud Horatium autē vbi locus est *ἐπωδῶν* si neq; *σποφῶν*, neq; *ἀντισποφῶν* re-
periuntur? an dicemus *ἐπωδῶν* librum dici propter adiunctos breuiiores versiculos: quos, qui cane-
bant, in neutram partem mouebantur: sed in vno loco in sistebant? atque in his Odis esse strophen,
siue antistrophen cum epodo, vt in choræa mouerentur à sinistra parte in dexteram, deinde quiesce-
rent, vnoq; in loco in sisterent? an epodôn liber dictus propterea, quòd duo essent, qui canerent: vnus,
qui longiores versus pronuntiaret: alter, qui breuiiores subiiceret, qui dicebatur *ἐπωδός*, quasi accentor,
aut succentor quidam, respondendi munere fungens? an, quod vir quidam doctissimus Florentinus
mihi dixit in sermone, cùm eius hac de re sententiam exquirerem, in superioribus libris fuisse *σποφήν*, &
ἀντισποφήν, in hoc esse *ἐπωδόν*, an placebit, huius libri Odas appellatas esse *ἐπωδός*, quasi odas posteriores,
non *ἐπωδός*: quemadmodum liber posterior Platonis de legibus *ὀπινομήν* inscribitur? an *ἐπωδῶν* appellati
versiculi breuiiores, eò quòd accinuntur longioribus. vt, *Beatus ille qui procul negotijs, Vt prisca gens mor-
taliū?* an, quod quidam testantur se vidisse in quodam codice vetere, hunc librum ita inscriptum,
Quinctus Odarum liber, id sequemur, vt nullus iam dubitandi locus sit relictus, nihilq; causæ, quam-
obrem hac de re plura quæramus? ego quidem neque vnus codicis auctoritate standum esse censeo,
neque vllam earum, quas exposui, causarum, satis certam, aut necessariam esse puto. Itaq; vetus illud
Academicum verbum hîc vturpans, *ἐπιζῶ*, ne rei falsæ assentiens, temeritatis culpam sustineam. Inter-
eà tamen placet Diomedis, & Marij Victorini, & aliorum Grammaticorum veterum sententiam
probare, qui propterea hunc librum ita inscriptum esse dicunt, quia singulis longioribus versibus, sin-
guli breuiiores accinuntur, qui *ἐπωδῶν* appellantur. Docent enim illi carminis genus vnum esse, in quo
versus ita inter se connexi sunt, vt alter sine altero audiri non possit: quorum prior *ᾠσώδης*, id est, præ-
cinens, posterior *ἐπωδῶν*, id est, quasi succinens, nominatur, vt in elegis, longus & hexameter, est
ᾠσώδης: breuior, & pentameter, *ἐπωδῶν*. Eadem igitur ratione hic trimeter *Ibis Liburnis inter alta*
navium, *ᾠσώδης* erit, quasi præcinens. alter autem, dimeter, *ἐπωδῶν*, quasi succinens. *Amice propugna-*
cula. Sed lubet mihi Marij Victorini verba hîc subscribere ex lib. 3. *Archilochus fuit singularis artificij*
in excogitandis ac formandis nouis metris, primusq; epodos excogitauit, alios breuiiores, alios longiores, detra-
hens vnum pedem, seu colum metro, vt illi subiiceret id quod ex ipso detractum esse videbatur, vt in heroo, à quo
primùm cæpit, Diffugere niues: redeunt iam gramina campis: Dehinc epodus sui generis, Arboribusque
comæ. Idem paullo pòst. Idem Archilochus penultimis heroi hexametri paribus adiecta syllaba huiusmo-
di versus induxit, qui metro Phalacio: id est, tribus trocheis ultimis clauderetur: vt est, At tuba terribilè so-
nitum dedit ære canoro. Adiecta enim ante ultimos pedes, sed syllaba, fiet ære sed canoro. quod est carmen
Phalacium. Iuncto omni fiet versus huiusmodi: At tuba terribilem sonitum dedit ære sed canoro. Quod
quidam hexametrum heroum *ᾠσώδης* dixerunt. *Huic idem epodum subdidit trimetrum versus Iam-*
bicum catalecticum: id est, vltima parte imminutum. Cuius exemplum noster Horatius secutus est illa Oda,
Soluitur acris hiems grata vice veris & Favoni. Dehinc trimeter catalecticis vice epodi Trahuntq; siccas
machinae carinas, &c. Ex quibus Marini verbis intelligere licet & qui sint, & quare dicantur epodi. Sed
quærat aliquis, cùm etiam in superioribus libris reperiantur minores versiculi longioribus subtexti:
cur non etiam libri epodôn appellentur, & cur hic solus appelletur, respondeo, quia totus hic liber,
& omnes odæ, quæ in hoc libro sunt, habent taleis versiculos, qui epodi dicuntur: non item odæ li-
brorum superiorum, sed pauca. hæc mea de huius libri inscriptione sententia est, quæ sicui minus
probetur, afferat probabiliorem: & ego manus dabo.

AD